

www.e-rara.ch

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad
obtinendum futurum infinitum, cum participio salutis**

Abraham

Salisburgi, anno 1699

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25261>

Sermo de excellentia crucis, & afflictionis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

S E R M O

D E

Excellentia Crucis, & afflictionis.

Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI.

ACT. 14. v. 21.

P A R S P R I M A.

PER antiquum & usitatum est in Academiis, quod Studiosi antequam in Matriculam, seu Album Studioformi referantur, variis fannis, verberibus, & ludibriis (quæ communi nomine *Deposito* vocatur) exerceri soleant. Similem etiam morem Benignissimus DEUS observare consuevit: Nullum enim in cœlum, velut cœlestem Academiam admittit, nisi variis prius tribulationibus exercitum, idque ob easdem ferè causas, ob quas Academiæ dictæ depositionem instituerunt: scilicet. 1. Ut ad virtutem disponantur. 2. Ut probentur. 3. Ut sanctis conformentur. 4. Ut digni fiant Privilegiis. 5. Ne extollantur super alios: Quàm æquum est ergo libenter velle subire hanc depositionem (quæ per breve duntaxat durat spatium) præsertim cum per hanc in numerum Discipulorum Christi admittamur, & consequenter etiam in Sanctorum Album referamur: non enim est possibile in schola Christi agere discipulum, nisi per similem depositionem, idest, per continuas Cruces exerceatur. *Qui enim, ut loquitur ipsemet Salvator, non bajulat Crucem suam, & venit post me, non potest meus esse Discipulus.* Actiones verò Discipuli Christi sunt ad versa virili sufferre animo, hinc S. Paulus ait: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patientur.* Ubi S. P. N. Augustinus addit: Si ergò non patienter pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo pie vivere. Et rursus alibi ait: Nullus servus Christi sine tribulatione est, si putas te nondum habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.

2. Quamobrem non immeritò viri sancti, utpotè inter Christi servos numerari cupientes summum demonstrarunt gaudium inter adversa, inter quos primum tenet Doctor Gentium S. Paulus, qui de seipso fatetur: propter quos placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis in Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. S. Catharina Senensis oblata à Christo coronâ aurêâ & spineâ, spineam elegit, atque ab eo tempore adeò delectata est afflictionibus, ut nihil ei in hac vita tantum solatii ac refrigerii afferret, quantum afflictiones & crucis: sine quibus, ut ipsa ajebat, vita hæc ei molesta foret;

Luc. 14.
v. 26.

2. Tim. 3.

v. 11.

S. P. in

Psal. 55.

Idem in

Psal.

2. Cor. 12.

Surius

in ejus

Vita.

Lyræus
l. 4.

propter eas autem libenter ferret beatitudinis dilationem, non ignorans, illam afflictionibus non parum augeri. Hinc fœminam cancro laborantem & horridam sui infamatricem, a nunquam domo, et si id urgeretur à Matre, expellere voluit, sed omnia ei obsequia instar ancillæ promptissimè exhibuit. Beata Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat, non desiderare se brevem vitam ac celerem mortem, cum in cœlis nulla sit cruciatuum perpeffio; desidero, inquebat, vivere diu, quia desidero amore sponsi ac Domini mei diu pati, non tantum breve aliquod Martyrium, sed & morborum examina, calumnias, infortunia, & quæcunque in me assurgere possunt adversa.

S. Ger-
trud. l. 2.
infin.
c. 10.

To. 2.
Chron.
S. Fran-
cis. p. 4.
l. 7. c. 24.
L. 3. Inlin-
c. 63.

Pæd.
Christ.
to. 2. p. 1.
c. 5. Sect.
7.
Apoc. c.
3. v. 19.

Pfal. 33.
v. 19.
In Psal.
90.

Vita l. 4.
s. 17.

3. Et meritò hæc adversitatum genera à Sanctis desiderari solent, quia est signum specialis amoris, quo DEUS suos prosequitur; quemadmodum enim, ut S. Gertrudis edocta est, annulus est signum desponsationis; sic adversitas tam corporalis, quam spiritualis, verissimum signum est electionis divinæ, & quasi desponsatio animæ cum DEO, in tantum, ut gravatus quisque veraciter, imò confidenter dicere possit illud: annulo suo subarrhavit me Dominus JESUS Christus. Quod ulterius confirmatum manet ex eo, quod DEUS non semel suis amicis indicavit, præcipuè dum P. Baptistæ Veranæ dixit: Recordare, magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixit, quam dum tenerem in dulcissimis brachiis meis. Et iterum S. Gertrudi, dum eam vehementer turbatam vidisset, his verbis consolatus est: Ne contristare, delector enim tuâ cohabitatione, idè ut mecum mancas, mitto tibi amicos contrarios, ut dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. Præ cæteris verò hoc ipsum confirmat, quod quondam Christus per Catharinam quandam Ordinis Carmelitarum Monialium vitæ sanctitate celebrem, ad venerabilem Annam à S. Bartholomæo ejusdem Ordinis gravissimos dolores, magnâ constantiâ patientem scribi iussit; ubi post alia sic loquitur: Quo quisque de meis unquam mihi fuit gravior, amicioque, huic majorem crucis meæ partem singulari ex favore imposui ferendam. Ita Apostoli mei, ita ipsa Mater mea experta est, hujus animam doloris gladius in tantum pertransivit, ut merito suo Martyrum Martyr, & Regina nuncupetur. Hinc DEUS in Apocalypsi ait: *Ego, quos amo, arguo & castigo*, id est tribulationes eis immitto. Sed, amabo, quo fructu? ut eum eis continuo maneat, eos ab inimicorum incursum defendat, in virtutibus erudiat, ac in omnem perfectionis semitam dirigat. *Juxta enim*, ut regius loquitur Psaltes, *est Dominus his, qui tribulato sunt corde*; quis ergò nunc est, qui non cum S. Bernardo exclamet: DEUS nobiscum est in tribulatione; & ego aliud quæram, quam tribulationem?

4. Enim verò, ut nunc dicta magis stabiliantur, servire nobis poterit, quod quondam Christus S. Theresiæ apparens dixit: Ille Patri meo ecclesiæ omnium est gratissimus, qui quàm plurimis maximisque afflictionibus exercetur. Et vide filia mea, vide, & animum perpende vulnera mea, & fatere, quàm nulli tui dolores cum meis, vel conferri possint. A quo tempore tantum illa desiderium patiendi concepit.

pit, ut semper dicere soleret: aut pati, aut mori, fatereturque, se afflictiones cum omnibus mundi thesauris non commutaturam. Hinc non nemini post mortem apparens dicebat, se in cœlo pro nulla alia re tantum præmii accipere, quantum pro molestiis, quas perpeffa fuerat, dum inter mortales degeret: & si quid esset causæ, ob quam desideraret in terras redire, id se non aliâ causâ desideraturam, quàm ut pati posset. Certè non inconvenienter dixit B. Angela de Fulgino: Scio, filioli mei, quod nobilitas & valor, qui erit de tribulatione, non est nobis cognitus, alioqui esset de illa magna rapina, & quilibet raperet ab alio, de quo tribulari posset, Et meritò quidem, quid est enim afflictio aliud, quàm annus Jubilæi, in quo quàm plurimæ nobis conferri solent gratiæ? Quid est afflictio aliud, quàm autumnus frugiferus, in quo ingentes spiritualium bonorum fructus colligere licet? Quid est afflictio aliud, quàm tempus messis, cum in ea uberrimi cœlestium charismatum manipuli metuntur? Etenim teste Avila plùs valet tempore tribulationis, unum DEO gratias, quàm sex millia in prosperitate. Quid, quæso, alicui afflictio hæc sententiâ consolabilius & suavius, dum videt, quantopere sibi per iter atam DEO gratias repetitionem cœlestem posset cumulare gloriam. Hinc rectè ad nostrum propositum exclamat Ecclesiasticus: *Speciosa misericordia DEI in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia in tempore siccitatis.* Etsi enim verus DEI amator instar vineæ dulcissimos bonorum operum botros semper afferat, copiosiores tamen haud dubiè germinabit tempore adversitatis. Undè Christus apud S. Joannem dicit: *Omniem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat.*

Et sanè ita contingit justis in tribulatione positis, quod olim Arcæ Noë, quæ, quò magis abundarunt aquæ diluvii, tantò altius ferebatur: ita mansuetus animus, quò majores erunt tribulationis aquæ, tantò erit excelsior. Quod multis exemplis è Scriptura petitis probari potest. Joseph enim plus crevit & prosperatus est in exilio, quàm si fuisset inter fratres suos in domo. Quantò magis Pharaò filios Israël affligebat, tantò magis multiplicabantur. Ezechiel in medio captivorum vidit mirabiles DEI visiones, ubi fuit variis lætatus. Pueri in Camino ignis receperunt Angelicam consolationem, cum quibus Nabuchodonosor vidit similem filio DEI, et appareret Deum esse cum tribulatis. Rex Nabuchodonosor per septem annos in bestiam commutatus, recuperat sensum, & laudat Deum, quem antea blasphemaverat. Ab adventu Spiritus Sancti usque ad persecutionem S. Joannis Evangelistæ sub Domitiano Imperatore fluxerunt anni circiter 50. & toto illo tempore non habuit ille Apostolus tot & tantas revelationes, nec tantum Ecclesiæ profuit, quantum eo tempore, quo fuit in exilio.

5. Hinc ergo patet, quanti intersit pro DEO & propter DEUM affligi: Porro etsi fructus ex tribulationibus prognasci solitus non mox appareat, non tamen propterea desperandum: Quemadmodum enim qui seminat, non continuò metit, sed post aliquod temporis intervallum: Sic etiam, ut regius loquitur Vates, *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Euntes ibant & flebant mittentes semina sua:

Nadal in hebdom ætern. 45

Vit. c. 20

To. 2. ep. 20.

C. 35. v. 26.

Joan. 15.

Gerlon. p. 2. ser.

de omnibus Sanctis.

Gen. 41.

Exod. 17.

Ezech. 1.

Dan. 1.

Dan. 4.

Irenæus

l. 5.

Pf. 125.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Hinc S. P. N. Augustinus in hunc locum ait: Ipse agricola, quando procedit & portat semen, nonne aliquando frigus est, ventus & imber deterreret, attendit coelum, videt tristem diem, attendit & expectat diem latam ne tempus transeat, & non inueniat, quod metat: Seminate & vos in hyeme, seminate bona opera. Ne verò quis animo concidat, considerare debet instar agricolæ tempus messis, id est vitam æternam, velut fructum in adversitatibus collectum, qui tantus est, ut teste Apostolo, non sint condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, unde S. Chrysostomus & S. P. Augustinus super hunc Apostoli textum ajunt: Si quotidie opoteret nos tormenta sufferre, & ipsam gehennam parvo tempore tolerare pro eo, ut ipsum Christum possemus videre in gloria, & Sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum omne pati, quod triste est modò. Eja ergo chære frater, si Divina Clementia tibi aliquas immiserit afflictiones, ex quocunque demum capite ortum ducentes, perferas heroico hilarique animo DEO gratias agens, quod dignus factus sis cum Apostolis pro nomine Jesu contumeliam seu tribulationem pati, quam tanti S. Henricus Suso æstimavit, ut dixerit: Si centum annis & flexis genibus oremus Deum, non sumus digni, ut crucem unicam accipiamus.

P A R S S E C U N D A.

6. Præter hæc, quæ nunc diximus, sunt adhuc alia, quæ ad Crucem jucundius ferendam conducere possunt; quare brevitatis ergò pauca adhuc superaddemus. Quod olim dixit Apostolus nunc quilibet Christianus dicere deberet, videlicet: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi*: Et meritò quidem, cum per hanc multò verius quis possideat titulos, ob quos plerumque homines gloriari solent. Et primò quidem si alii ob divitias gloriantur; Quæ majores reperiri possunt, quam eæ, quæ in Cruce reperiuntur, cum juxta illas ipsa felicitas in altera vita distribuatur, ut adeò meritò Moyses impropriè Christi majores divitias æstimârit, quam thesaurum Ægyptiorum. Hinc S. Ignatius Lojola tantis æstimabat carceres, probra, persecutiones, ut apertè diceret, si hæc una in parte statere collocarentur, & in altera, quidquid à Deo creatum est, appenderentur, vix hoc omne præ prioribus momentum aliquod apud se habiturum.

7. Secundò, si alii ob nobilitatem & dignitatem gloriantur, quæ major dignitas & nobilitas obtingere potest homini, quam si ipsi DEI Filio similior fiat, & cum eo per gloriosa facta nomen super omne Nomen sibi comparet? Tertio, si alii ob pulchritudinem gloriantur, quid pulchrius esse potest homini justo, multa propter Christum patiente? de quo meritò dicat Sponsa: Dilectus meus candidus (propter innocentiam) & rubicundus (propter in victam patientiam) electus ex millibus. Rursus, si alii ob robur corporis gloriantur; quanto æquius gloriabitur Christianus ob animi robur, quod in adversitatibus ostendit, & per quod ipsis etiam dæmonibus

terribilis evadit. Demum si alii gloriantur ob scientias, quæ altior, utilior, & dignior scientia addisci potest, quàm scire Jesum Christum, & hunc crucifixum? Porro alia motiva ad tribulationes fortiter perferendas sunt. *1. Status Christianus* juxta illud S. Luca: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *2. Status peccatoris*: peccata enim à nobis separant Deum, cruciatus verò illum nobis reconciliant, præparantque propitium ac propinquum. Hinc S. L. 2. In Gertrudi revelavit Christus: Quò universalior & gravior est passio, eò puriorem clarificationem animæ præstat; *3. Status Religionis*: quia ut benè advertit P. Balthasar ex Societate Jesu. Religio est schola mortificationis, & ad eam venimus, ut scientiam discamus faciendi Crucifixos. Vel ut S. Thomas dicebat, est status poenitentia, vel ut S. Joannes Climacus assererat, perpetua naturæ violentia. Hinc memorato P. Balthasari Alvarez Christus ipse quondam dicebat: Si Religioni hujusmodi fel deesset, quid tibi mei causâ perferendum superesset? & tunc mihi occurrebat, inquit præfatus Pater, quod si ego essem, qualis deberem, debuissèm potius similes fellis haustus, imò etiam amariores optare, & si hujusmodi difficilia & ingrata vitæ justè deessent, idem esset, atque si coronæ Christi spinæ deessent, aut auri cuspides vestri pretiosæ.

8. Utilitas afflictionum ex eo quoque liquet, quod nos stimulent ad currendam, quæ ducit ad cælum, vitam. Undè S. Gregorius ait: Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne, dum quisque præsentis vitæ requie, quasi amœnitate pascitur, magis eum diu pergere, quàm citius pervenire delectet, nè, dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in Patria. Hinc Psalmista ait: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Ac si diceret, permulti in prosperitate viam mandatorum Dei non currunt, at dum affliguntur, velociter hanc inambulant. Besæus ait: Instrumenta musica, prius manibus percuti debent, quàm sonitum edant, & quò feriuntur vivaciùs, eò & sonant jucundius? Hoc quidam emblemate tribulationes expressit, varia namque instrumenta musica testitudines, tibias, citharas, cymbala, psalteria & sistra simul congestit, & hanc Epigraphen addidit: Non percussa silent. Sic profectò contingere solet: quàm plurimis Christianis, qui dum non affliguntur, nullam divinæ laudis melodiam edunt, dum verò tribulationis virgâ percutiuntur, suavissimum ac Deo gratissimum emittunt sonum. Meritò ergò ait S. P. N. Augustinus: En deses equus scuticâ excitatur, en vestis à pulveribus inter verbera purgatur; en arbor percussa copiosiore nucum segetem proferre solet: haud fanè dissimili modo, & nos ad frugem erudimur verberibus. Plagæ jubent sapere, & quæ nocent, docent. Gaudeat ergò Christianus adversis, quia aut probatur, si justus est; aut si peccator est, emendatur. Timeat quem Deus corrigere non vult in sæculo, quia cum supplicio destinavit post sæculum: hætenus S. Pater. Et S. Gregorius: Sicut ignis flatu premittur, ut crescat, & undè quasi extingui cernitur, indè roboratur: ita Electorum desideria,

deria, dum premuntur adversitate, proficiunt. Et in alio loco præfatus S. Doctor ait: Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.

In præ-
fat. ad
suas tra-
ctat.

L. de pa-
tien. c. 2.

Chron.
S. Franc.
c. 2. l. 7.
c. 24.
In Vita
oper
præfixa.
Historia

9. 2. Conducunt ad purgatorium evitandum: idcirco enim, ut ait S. Gauden-
tius Episcopus Brixie; pudicè conversantem Dominus nunc tribulationum & æ-
gritudinum flagello castigat, nè in illo sordium aliquid futurus ignis inveniat: sed
ut per exiguas plagas brevissimi temporis, ab omnibus purgatus maculis securior
ad æternam migrare requiem mereatur. Patiens itaque, ut benè advertit S. Lau-
renus Justinianus, sapienter agit, ut debita sua solvat. Nihil enim de suo in sol-
vendo expendit, sed facit, ut hostes sui pro se solvant. Illatis enim ab iis injuriis
ditatur abundè, sicque fit, ut contumeliis magis gratia, quàm ira debeatur, cum ea-
rum interventu, Deo Judice, & pœna gravior declinari posse confidatur, & ingen-
tes thesauri in conscientia per patientiam recondantur. Hinc B. Baptistæ Vera-
næ Ord. S. Francisci Christus dixit: Cognosce te magis obligatam esse illi,
qui tibi malum fecit, quàm ei, qui bonum: illæ enim personæ sunt, quæ purgant a-
nimam tuam, & pulchram faciunt, gratiosam & acceptam in conspectu meo. Por-
rò hæc prædictorum veritas confirmatur exemplo. Taulerus Doctor ex S. Domi-
nici Ordine; cum non diu ab obitu viro cuidam, qui jussu Dei illum ad insignem
vitæ sanctimoniam adduxerat, & eidem morienti adstiterat, apparuisset, roganti
quæ causa fuisset, cur post longam viginti septimanarum ingenti cum dolore to-
leratam paralyin, vitam tam horribili sine clausisset, qui multos de salute ipsius an-
xios dubiosque fecisset, respondit, id ideo factum, ut ab igne purgatorio liber in
cœlum evaderet. Cæterùm ajebat, se in mortis agone à dæmonibus in eas fuisse
conjectum angustias, ut propè desperârit, tandem tamen bonitate Dei factum, ut
in ipso mortis articulo adfuerint Angeli, ac in cœli atrium deportârint, jussum ibi
dies quinque expectare, non alio doloris sensu, quàm qui ex desiderio videndi Dei
oriebatur.

In Ps. 21.

Jac. I. v. 3.

Blos. in-
stit. spi-
rit. c. 8.

L. 21.
moral.
c. 4.

10. 3. Implantant & augent virtutes. Nam teste S. P. N. Augustino, ignis
non est diversus, at diversa agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In qui-
bus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, dum eos tanquam
aurum probat. Hinc S. Jacobus, *omne gaudium, ait, existimate fratres mei, cum
in tentationes varias incideretis, scientes, quòd probatio fidei patientiam operatur,
patientia autem opus perfectum habet.* 4. Salutem nostram assecurant: necque
enim, ut rectè Blosius dixit, nullum certius signum electionis divinæ habetur, quàm
si quis tribulationem humiliter patienterque propter Dei amorem suslineat; illa
enim est pretiosus annulus, quo Deus animam sibi desponsat. Undè rectè S. Gre-
gorius ait: Sicut vitulus ad laboris usum victurus sub jugo retinetur, mactandus
autem in liberis partibus saginatur. Et sicut arbores fructiferae in colligendis
fructibus vexantur, lacerantur, spoliantur, diutissimè tamen vivere permittuntur:
infrugiferae verò intactæ stant, sed citiùs exciduntur, ut in ignem mittantur: Et si-
cut ægris desperatis omnia conceduntur, iis verò, quibus spes salutis subest, amara
me-

medicamenta applicantur : sic reprobi bonis hujus mundi saginantur, & à tribulationibus immunes, aut minùs saltem obnoxii manent; Electi verò laboribus, & arumnis exercentur. Hactenus Greg. quare rectè docet S. Leo. Certa atque secura est expectatio futuræ Beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.

11. Quam veritatem non obscurè confirmat liber Leviticus, ubi ad expianda populi peccata jubebatur summus Sacerdos duos hircos accipere, & super utrumque sortem mittere, ita ut is, quem fors Deo designârit statim pro peccato populi mactetur, alter verò liber in solitudinem dimittatur. Per quorum priorem Electi significantur, utpote qui hoc ipso quòd in sortem Domino obtigerint, in Sacrificium mactandi sunt, per posteriorem verò reprobi judicantur, qui in desertum Mundi abire ibique liberè vagari sinuntur. Quàm verò talis libertas & tribulationum carentia periculosa, juxtaque damnosa sit, docemur hoc exemplo; Postquam S. Ambrosius, aliquot annos suæ moderatus esset Ecclesiæ, Romam proficisci coactus est. Quo in itinere mirissimum quid ei fertur accidisse. Diverterat apud hospitium cujusdam divitis, & omnibus fortunæ muneribus cumulati. Quem cum vir Sanctus esset percontatus, ut ei res domestica succederet, ut se filii haberent, & quænam bona possideret, audiit ab eo, rectè sibi, atque ex animi sententia fluere omnia, illibatam semper retinuisse corporis sanitatem, nullâ profus ægritudine teneratam; complures numerare liberos; pollere divitiis, ac omni bonorum copiâ adeò circumfluere, ut quid esset infelicitas, penitus ignoraret. Quæ simul S. Episcopus audit, recordatus verborum illorum S. Job. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt; instinctus à Deo discessit, suisque comitibus dixit: Citò procul hinc fugiamus, imminet enim his ædibus justis Numinis ira, nè fortè nos deprehenso involvat. Itaque festinus effugit, neque procul abierat, cum ecce tellus ingenti discedens hiatu, domum domesticosque illos omnes vivos absorpsit. Discimus hinc felicitatem mali hominis ignotum esse Numinis irati flagellum. Bellè itaque concludit S. Chrysostomus: Si flagellat, inquit, omnem filium, quem recipit; qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorum. Ideò Deus minatur populo suo: dimittam vineam meam, & non putabitur, nec fodietur. Ut adeò non immeritò S. Ambrosius dixerit: Fortassè cum persecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur.

C. 16. v. 5

In ejus Vita.

Historia

Job. 21.

Hom. 29

in epist.

Hebr.

Isa. 5. v. 6

12. 4. Tribulationes assimilant nos Christo: uti S. Laurentius Justinianus testatur dicens: Assimilatur Christo patiens, quod est gloriosissimum. Sicut enim gloriosum Militi est deferre arma Regis, sic est Christiano, portare stigmata Christi. Quanta est gloria Sponsæ assimilari Sponsò nihil gloriosius reputat, quàm Christi portare opprobrium. Hinc ut Beata Angela de Falgineo dixit, quòd Deus Pater dilexit, & elegit, & dedit suo charissimo Unigenito, hoc Unigenitus dili-

De Patient. c. 20

Vit. c. 4.

dili-

diligit, & infligit, & dat charissimis Filiis suis. Elegit autem Deus Pater sub Filio paupertatem, despectum, dolorem, persecutiones, afflictiones, exterius & interius tædium, pavorem, timorem, angustiam, agoniam, quæ sustinuit Dei Filius innumerabilia. Studeamus ergò, sustinere tribulationes temporales cum patientia

Drey. in & gaudio. Id quod P. Bonaventura observavit dicens: Nolo esse sine vul-
urfs p. 2. nere ô bone Jesu, cum te sic vulneratum videam. Non convenit Domine,
c. 5. §. 1. ut ego gregarius miles cuticulâ non sauciâ, & benè curatâ triumphem, tu verò Dux
 in oculis meis penè unum, sed grande ac lachrymabile vulnus pendeas, &
 expires.

L. 1. In- 13. Tandem Afflictiones summum Deo gustum & voluptatem creant, at-
sin. c. 4. que ad eò & nobis, quibus, si Deum sincerè amamus, potior & jucundior debet esse
 Dei, quàm proprius gustus: Ita enim S. Gertrudi revelavit dicens: Hæc, pro qua tu
 oras, est mihi Liliū electum, quòd manibus meis portare affecto, suprema nam-
 que mihi est voluptas delitoseque in anima hujusmodi casta ac pura morari. Ipsa
 rosa denique est mea suaviter olens; patientia namque illius, & in cunctis adversis

L. 3. c. 11. gratiarum actio suavissimum inferunt mihi odorem. Alia vice eidem dixit: Ille
 mihi offert simplicem nummum aureum sine gemma, qui sine adversitate est, &
 tamen de voluntate divina in omnibus operibus suis Deo intendit; sed ille qui in
 singulis operibus suis premitur adversitate, & tamen de Divina voluntate non dis-

Vita l. 1. cordat, ille offert Deo aureum nummum cum probatissima gemma. Quod et-
c. 4. iam liquet ex eo, quod Christus quondam Virgini cuidam devotæ de patientia S.
 Gertrudis dixit: Tantâ hujus animæ delectatione afficior, ut sæpe numero, dum
 ab aliis hominibus offendor, me ipsum in ea quieturus insinuem, atque pressuram
 cordis, aliamve molestiam eidem tunc temporis destinem, quam dum tantâ ut
 solet gratiarum actione suscipit, tantâ suffert humilitate ac patientiâ, tantâ denique
 devotione, in unione passionis meæ mihi offert, omninò me reddidit placatum, fa-
 citque ut innumeris sæpe hominibus ejus amore paream. Quod ulterius confir-

Spec. E- tres Moniales ad Altare flectentes, & ad eas pulcherrimum de Altari currentem,
xemp. qui primam quidem amorosè amplexus est, & de suaviavit, secundam blandis ocu-
tit. tri- lis remoto velo aspexit, tertiam verò pugnis percussit, & pedibus trusit, iterumque
bulat. ad Altare abiit. Cum verò Matrona factum summopere mirata, causam illius
Historia rogasset, audiit primam Monialem valdè nutare in proposito, statimque ad secu-
 lum redituram, nisi consolationibus cœlestibus in proposito firmaretur. Alte-
 ram constantiorem esse, & contentam, modò aliquid saporis cœlestis in-
 terdum degustare deitur. Tertiam verò ad eò in amore Dei firmam esse, ut nul-
 lis se adversitatibus ab eo separari sinat, & hanc sibi ex omnibus illis tribus gra-
 tissimam esse.

14. Cæterum ad Crucem patienter ferendam æquitas nos movere deberet:
 Cum enim Christus velut caput nostrū, & naturalis Dei Filius, cui debebatur glorie
 æterna

æterna titulo hereditatis, nihilominus tamen per tribulationum & Crucis januam in gloriam propriam intrare voluerit, an non æquissimum est ut per eandem etiam membra & Filii duntaxat adopravi ingrediantur? Per hanc ingressi sunt Apostoli & omnes Sancti Martyres, de quibus S. Paulus ait: Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, circumciterunt in melotis, in pellibus caprimis, egentes, angustia, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & in cavernis terræ. Meritò ergo hinc dicit Pius Asceta: Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit? Nec enim Deus Christus Dominus noster unâ horâ sine dolore fuit, quamdiu vixit. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ est via S. Crucis? Et in alio loco sic fatur: Intuere Sanctorum Patrum viva exempla, in quibus vera perfectio refulsit & Religio, & videbis, quòd modicum sit & penè nihil, quod nos agimus. Heu quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? Sancti & amici Christi Domino se vierunt in fame, & siti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & jeuniis, in orationibus & meditationibus, in persecutionibus & opprobriis multis. Unde introducit alibi Christum sic loquentem: Cessa conqueri consideratâ meâ & aliorum Sanctorum Passione, Nondum usque ad Sanguinem restitisti. Parùm est, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati & exercitati. Oportet igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima.

Hebr. 12
v. 36.

Thom.
Kemp.
L. 2. c. 12.
§. 6.
L. 1. c. 18.
§. 18.

L. 3. c. 19.
§. 13.

15. Quòd idem docet S. Joannes Abbas, dum Monachis suis de tribulatione dicere solebat: Hæc est porta Dei, per quam Patres nostri per multas tribulationes & injurias gaudentes ingressi sunt civitatem Dei. Eum in finem illis exemplum de Juvene Philosopho narrabat, qui, quia Magistrum offenderat, ab eo jussus erat primo triennio Metalla cum aliis fodere, altero verò triennio mercedem offerre iis, qui eum injuriâ affecturi essent. Quod cum non segniter fuisset executus, à suo Magistro Athenas deductus est. Verùm cum ad civitatis portam venisset & sene ad portam sedente injuriis affectus esset, has ridenti ore excepit, & cum de hac lætitia eum Senex interrogasset, & quæ nam esset causa, ait: hæc est, quia gratis contumelias à te accipio, pro quibus hæcenus mercedem offerre debui. Quo audito Senex ait; Euge, jam urbem ingredi, quia dignus es, qui inter sapientes numereris. Meritò ergo mi chare frater cunctas contumelias & persecutiones ridenti hilarique ore excipere deberes, ut per tale heroicum factum dignus efficereris ingredi civitatem Dei, & inter Sapientes numerari. Unde Pius Asceta: Utinam, inquit, dignus esses aliquid pro nomine Jesu Pati, quàm magna gloria remaneret tibi: Quanta exultatio omnibus Sanctis Dei; quanta quoque ædificatio esset proximi. Præterea quemadmodum Princeps, si cuiquam Crucem ligeam sed auro repletam ostenderet, eamque donare se diceret, si in

Vit. Pf.
1. 8. n. 84

L. 2. c. 12.
§. 13.

domum suam asportaret, omnis labor in ea ferenda subeundus utique jucunda potius quam ingratus accideret; ita pari letitia & alacritate crucem Spiritualem suscipere debes, utpote quam suis auro nobilissimo cœlestium meritorum plenam, tibi que promissam, si eam in domum tuam, id est cœlestem Patriam feras. Ex quo
 L. 2. c. 12. haud dubiè, hanc consequeris felicitatem, de qua Thomas Kempensis ait: Quando
 §. II. ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo, tunc benè tecum esse existima, quia invenisti Paradisum in terra. Sperans itaque his voto tuo jam satisfactum, ideo plura addere abstinco. Vale.

S E R M O

D E,

Tentationibus.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & Timore & prapara animam tuam ad Tentationem. Eccl. 2. v. 1.

P A R S P R I M A.

1. **S**I ulla alia materia scitu necessaria est Ascetæ, hoc profectò cenferi debet, ut ad quem propriè pertinet, non modò quo ad se fraudes & laqueos dæmonis studiosè devitare, sed alios etiam ab eorum incurfu sagaciter tueri. Unde sicut plurimæ sunt fraudes & astus dæmonis, quibus decipere conatur; ita non pauciores sunt doctrinæ, quæ ad easdem evitandas observari debent, sed omnes ferè ad tria capita reduci possunt, nimirum ut benè sciatur, quid ante, quid in, & quid post tentationem observandum sit. Ante tentationem itaque tria observanda sunt; Nimirum 1. ut certò sibi persuadeat, postquam accessit ad servitutem Dei, animam ad Tentationem parandum esse; imò quò plus in sanctitate profecerit, tantò vehementiùs oppugnatum iri, cum teste S. Gregorio, hostis noster in hac vita positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendat, eos verò pulsare negligit, quos quieto jure se possidere sentit. Cui consonat S. Thomas de Villanova, sicut piscator, ait, avidus & peritus grandiores pisces minoribus contemptis attentius inescat; ita Diabolus periculis quibusdam avidiùs insidiatur, ut pereant. Et D. Chrysologus: Hostis plus Ducem, quàm militem petit; nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes; Sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat, sic laborat. Quemadmodum etiam piratæ, ut S. Chrysostomus loquitur, qui mare navigiis infestant, non naves è portu exeuntes, sed redeuntes onustas invadunt, ita dæmon simul atque videt aliquos collegisse multas merces, jejunia sci-

L. 29. mor. c. 12. Ser. de SS. Coſma & Dam. Hom. 3. de Verbis. Isa.

licet,